

DICTA ALANI PHILOSOPHI
 PHILADELPHI DE PHILOSOPHICO,
 sopherico,

E Germanico idiomate Latine reddita

PER

IUSTVM ABALBIANVM
 ALOSTANVM.

AD Deum, mi fili, & cor & mentem conuertito quam ad artem magis: ipsa enim donum, Dei summum est, cuique bene placitum fuerit eam largitur. Deum igitur ex toto corde totaque anima tua diligito, atque in eo solo & spem & fiduciam omnem locato: sic procul omni dubio hac arte nobilissima cum gaudio perfruere, linguæ interea silentium indicens labiis compressis. Porro autem non est quod tibi persuadeas, nos dum sublimationis mentionem facimus, vel etiam sublimamus, separare eam partem quæ superius est ab ea quæ est inferius. In nostra enim sublimatione partes fixæ non eleuantur, sed partes non fixæ. Nos itaque & corpus & spiritum debemus vna figere, vt facilioris efficiantur fluxionis. Atqui si calor agat in humiditatem, niger in primis color apparet: si autem calor agat in siccitatem, apparet color albus, & in eo albo colore occultatus est color rubeus. Sic tamen statuunt Alchemiæ studiosi, & istius abditæ artis inquisitores, non posse metallorum formas immutari, nisi reducantur in suam primam materiam: quæ prima metallorum materia non alia est quam Mercurius. Metallorum autem hæc in primam materiam, id est, in Mercurium reductio, quamquam à plerisque artis indagatoribus impossibilis credatur; ob id tamen possibilis censenda est, quod metalla omnia è Mercurio & sulphure in terris generentur. Cum igitur metalla ex Mercurio & sulphure originem habeant, possibile dicendum est metalla per Mercurium in Mercurium reducere. Omnis enim res in eam vel maxime conuertibilis est, ex qua originem sumpsit. Primum porro huius artis diuinæ opus est, lapidis sicci, puta Solis vel Lunæ in Mercurium solutio; siue